

Disputatio medica inauguralis, de cynanche tracheali / [Joshua Henry Davidson].

Contributors

Davidson, Joshua Henry.

Publication/Creation

Edinburgh : A. Neill, 1807.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/zcmwdp2v>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CYNANCHE TRACHEALI.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
CYNANCHE TRACHEALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU; ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOSHUA HENRICUS DAVIDSON,

SCOTUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOCIUS.

VIII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

“ —————quatit egros
“ *Tussis anhela — ac faucibus angit.*”

VIRGIL.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1807.

DISPUTATIO MEDICA

IN AUCTORITATE

HENRICO MACKENZIE
GYNAECHE TRACHEALIS

AVVM

ANNO MDCCCXXXVII

EX AUCTORITATE SENATUS UNIVERSITATIS

D. GEORGI BAIRD, S.S.T.P.

ACADEMIE PUBLICE PARISIENSIS

PROFESSOR

IN ACADEMIA MEDICA PARISIENSIS

DE FACULTATE MEDICAE

Die Obstru. Dorsalis

COMMISSIO IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

ACADEMIE PUBLICE PARISIENSIS

LAUDATOREM EXAMINIS PUBLICI

JOSEPH A HENRICUS DAVIDSON

AVVM

AVVM

Vill. Calendas Julias, hinc lococus editus

J. HENRICUS DAVIDSON

“Tandem” — or “Tandem”

Vicell

EDINBURGI

REGIBUS ADAM WELLS ET SOCIIS

1837

HENRICO MACKENZIE

ARMIGERO,

AVUNCULO SUO

DILECTISSIMO,

HANC DISSERTATIONEM,

ANIMI GRATI AC REVERENTIÆ

PIGNUS,

CONSECRAT

J. HENRICUS DAVIDSON.

HENRICO MACKENZIE

IN HONORE

AVUNCULO SUO

SYLVASTRO TRACHELLI

HANC DISSERTATIONEM

AVUNCULO SUO

PIGNUM

AVUNCULO SUO

AVUNCULO SUO

AVUNCULO SUO

AVUNCULO SUO

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CYNANCHE TRACHEALI.

HUJUS morbi duo genera ab auctoribus facta est mentio,—*symptomaticum* scilicet genus, et *idiopathicum*.

Symptomaticum genus ea est tracheæ affectio inflammatoria, haud rarò occurrens in cynanche tonsillari, cynanche malignâ*, aphthisque †, ob inflammationem à partibus morbo

A

primò

* Vid. CULLEN. *Practice*, § 318.

† WILSON *on Febrile Diseases*, vol. ii. p. 57.

UNDERWOOD, vol. iii. p. 320.

primò affectis, interiori asperæ arteriæ membranæ obrepentem, atque ita signa cynanchês trachealis inducentem.

Idiopathici generis duæ sunt species, naturâ haudquaquam simili.

Hujus generis *altera* quidem *species*, propter modum quò invadit, et plenas quæ haud rarò occurrunt remissiones, propter subitas et sæpè exitiales exacerbationes, propter modum curandi et remedia ad eam removenda efficacissima; sine dubio malum est spasticâ et chronicâ naturâ*, atque ab alterâ illâ specie multùm discrepans.

Huic speciei, quam solam mihi in animo est nunc tractare, varia indita sunt nomina †. A celeberrimo

* Vid. MILLAR et RUSH, De Asthmat. Infant. Spasmodic.

† Cynanche stridula; Catarrhus suffocativus; Angina interna; Angina polyposa, vel membranacea.

celeberrimo CULLENO ita accuratè definitur:
“ CYNANCHE, respiratione difficili, inspira-
tione strepente; voce raucâ, tussi clangosâ,
tumore ferè nullo in faucibus apparente, de-
glutitione parùm difficili, et febre synochâ*.”

Nullus morbus, nì fallor, magis sibi medici
attentionem vindicat, quàm is, de quo in hoc
opusculo scripturus sum; hoc saltem affirmare
licet, nullum alium tam subitò et inopinatò in-
vadere, nullum morbum esse, quo symptomata
ita vehementissimè et periculosissimè ingra-
vescunt.

Dolendum est eos, qui huic morbo præ cæ-
teris sunt obnoxii, propter teneros annos mi-
nimè aptos esse qui dicant quærentibus quid
doleat; unde fit ut medicus diagnosin minùs
accuratam facere possit. Hoc est magis lu-
gendum quippè morbus est, qui plerumque ita
se

* Vid. CULLEN. Synop. Ord. II. G. x. S. iii.

se incertè habeat, et haud rarò paucarum etiam horarum mora malum exitum aut bonam spem afferat.

“ —cita mors venit, aut victoria læta.”

Quum res ita est, certè haud ineptè interrogari potest, quomodo fiat, ut malum tam frequens, symptomatis tam vehementibus, et exitu tam sæpè lethifero, adeò diu medicorum indagationem eluserit?

Forsitan hic morbus antea rariùs quàm nunc dierum apparebat: Adjuvat hanc opinionem, quasdam hodiè Europæ, etiamque hujusce insulæ, regiones adhuc cynanchem trachealem ignorare, necnon eam identidèm se ostendere quibusdam in locis quibus antea nunquam aderat.

Hoc malo, interdum latenter suboriente, symptomatis in quibusdam exemplis leviter se habentibus, non mirum est, uti sæpiùs evenit,
medicum

medicum non priùs fuisse arcessitum quàm ad extremum res deducta esset; undè rarò erat locus accuratæ diagnosi.

Reformidatio etiam incidendi corpora mortuorum, olim adeò generalis, haud paululum impedièbat quò minùs hujus morbi natura, et quo modo res se intrinsecùs haberent, cognoscerentur.

Ad hoc, medici etiam clari (ut candidè confitetur HARRIS *) ferè multùm erant aversi à tractandis morbis infantilibus, quorum natura quidem sæpè in tenebris versatur; atque ita timebant ne minùs aptâ curatione famam attererent. Hisce consideratis, neutiquam admirandum est, hujus mali naturam eos tam diu latere. “Nec difficile erit,” ait MICHAELIS, “conceptu quomodo iste morbus tam diu latere potuerit, summam si spectes multorum medicorum circa ea omnia naturæ phænomena incuriam,

* De Morbis Infant. Acutis.

incuriam, quæ angustos excedunt compendii pathologici cui adhærent limites ; latentis mali, plerumque infantilis difficillimam consideres diagnosin, abditamque sedem, et vulgi cada-verum sectiones reformidantis præjudicatas opiniones *.”

Hic morbus tamen non omninò, uti videtur, veterum medicorum indagacionem elusit. HIPPOCRATES ipse malum hujusce haud absimile conspexisse videtur ; nec periculosam earum anginarum naturam, quibus accedunt signa graviora, nullâ inflammatione aut tumore existentibus, mentionem facere omisit †.

Necnon GREGORIUS HORSTIUS cujusdam mali historiam enarrat, quod in omnibus ejus indiciis maximam cynanchis trachealis similitudinem

* De Anginâ Polyposâ, p. 71.

† HIPPOCRAT. in Prognostic. cap. v.

tudinem habet; nec omittit præcipuè observare peculiarem naturam speciemque mucii excreti*.

Porrò

* Vid. vol. ii. p. 135. obs. 4. De Asthmate raro.
 “ Vivit hic puer quadrimus tinctoris filius, qui ab ineunte ætate pectoris quâdam angustîâ, adeoque gravi asthmate affligitur statis periodis, menstruis ferè, nunc citiùs, nunc tardiùs, prout victu vel excedit vel modum servat. In ipso paroxysmo tam graviter angitur, ut jam jam suffocari, et animum agere videatur; qui paroxysmus antea non cessat, quàm materiam crassam, viscidam, compactam, gravissimâ tussi, et summis conatibus, per os excernat. Sæpiùs autem excrevit talem materiam unitam, albissimam, arboris radices, caudicem et ramos, omni ex parte, referentem, quam, si *ονοματοποιειν* mihi licuerit, *φλεγμα-δενδρον* nuncuparem. Ubi autem viscida illa materia coacervetur, et coaguletur, si dicere cogar, in ipsâ arteriâ asperâ sedem reponam, ubi paulatim, partim ex naturale pulmonum debilitate, partim à defluxionibus à capite factis, colligitur.”

Porrò TULPIUS *, et ELLERUS †, mala quæ hunc morbum multùm referunt describunt.

Cæterùm, hujus morbi, etiamsi scriptoribus non prorsùs ignoti, pauci videntur habuisse veram notitiam, etiamque ii, quibus eum conspicere contigit, haud multum attentionis ei dederunt, ejusque veram naturam prorsùs ignorâsse videntur.

In hoc statu mansisse videtur hujusce morbi cognitio, donec Doctor F. HOMIUS ‡, ex accuratis observationibus multisque cadaverum incisionibus, ejus sedem naturamque exploraverit, atque ex horum notitiâ symptomata explanaverit, rationalemque curationem proponere potuerit.

DE

* Lib. i. cap. 51.

† Observationes, sect. xii. p. 167.

‡ Vid. HOME, *on the Nature, Cause, and Cure of Group.*

DE HISTORIA.

CYNANCHE trachealis frequentior in septentrionalibus quàm meridionalibus Europæ regionibus esse videtur; nulli cœlo sive frigido sive calido peculiaris, impuberes ubique gentium incurSAT. Affectionem, quam *catarrhum suffocativum* appellat, describit HILLARIUS*, quæ, ait impuberibus in insulâ occidentali *Barbadoes* vocatâ, pestifera erat; necnon in symptomatis ejus, progressu, exituque haud multùm cynanchês trachealis erat absimilis. Est etiam dignum memoratu, Doctorem WINTERBOTTOMUM † conspexisse hujusce anginae

B exemplum

* HILLARY, *on the Diseases of Barbadoes*, p. 34.
& 131.

† Vid. Vol. ii.

exemplum in puero quindecim annos nato, apud *Sierram Leonem* in orâ Africanâ.

Quanquam hic morbus igitur videtur nulli cœlo præ cæteris proprius esse, tamen vulgò grassatur autumnò, et vere, præsertim ubi præ tempestatis varietatibus, calor et frigus crebrò vices alternant, et ubi cœlum frigidum et humidum est.

Quamvis nullus locus ab hujus mali impetu defendat, sæpiùs, ut putant plerique auctores, invadit eos qui loca humida et humilia, proximaque paludum miasmati, inhabitant. Certum est loco, in septentrionali nostræ insulæ parti vernaculo sermone *Carse of Gowrie* vocato, ubi quondam latè grassabatur hoc malum, perquamque pestiferum erat, vix aut ne vix quidem nunc notum esse; cujus sine dubio causæ sunt ibi nunc dierum excultus agriculturæ status, atque humidæ terræ paludumque exsiccatio. Oppida maritima, ut fert *HOMIUS*, et loca propè mare, sæpiùs infestat: idem auctor etiam observat

observat quàm minùs sit frequens hoc malum in *Edinà*, præ cæteris urbibus propius mare sitis. Docet similiter CHEYNIUS *, ex decem puerulis hoc morbo affectis, uno anno à se tractatis, nullum uno lapidis ictu à littore habitasse.

Quanquam hic morbus sporadicè, vel epidemicè solummodò plerumque appareat, sunt qui opinantur eum interdum ex contagione oriri. Hâc sententiâ videtur esse ROSENSTEINIUS, ad quam adductus est, observando stragem quam multis in locis *Scandinaviæ* fecit; necnon uno exemplo ubi putat ortum esse ex cujusdam, qui hoc morbo periit, vestibus † gerendis.

RUTTIUS etiam, propter multa funera ab hoc morbo facta quibusdam in vicis, circa præcipuam HIBERNIÆ urbem, contagiosum esse sibi

* *Diseases of Children*, p. 31.

† *Ibid.* p. 309. 312.

sibi persuasum habere videtur; atque malum non ad urbem ipsam pervasisse opinatur, ex fumo malis ejus effectibus obviam eundo, per vim peculiarem sibi insitam purificandi fumigandique.

Idem sentiunt alii medici, inducti, ut ita crederent, quòd sæpè impuberes ejusdem prolis adoritur. Hujus rei tamen ratio in aprico erit, si habitum cunctis ex eâdem prole communem, proclivitatemque infantiaë pueritiaëque generalem ad ejus impetum, omnibus simul iisdem prædisponentibus et excitantibus causis obnoxiiis, consideremus.

Prætereà, ut observat MICHAELIS, si occurrant exempla hujus mali ubi totam domum simul pervaserit, non desunt alia ubi impuberes continenter eodem cubiculo, immò etiam eodem cubili, unà cum iis hoc morbo laborantibus versati sunt, nec ullam injuriam acceperunt*. Haud rarò, quodam tempore vertente, patescit,

* Pag. 68.

patescit, ubi paucos tantùm incessit, indèque citò evanescit; quod certè ita se non haberet, si ex contagione initium caperet.

Hæc quam persequimur angina vix aut ne vix quidem ullos adoritur, qui ad decimum quintum annum ætatis pervenerunt, atque impetus ejus ferè intra tenerrimos annos cohiberi videtur; ac tamenetsi hoc malum, uti videtur, interdum ætatem proveciorem invaserit, tunc plerumque est symptomaticum, atque eos solùm incessens, qui ex prioribus ejus tentationibus ad id procliviores facti sunt.

Certè errat igitur, si satis cerno, MICHAELIS, qui dicit hunc morbum non minùs frequenter adultos quàm eos molliore ætate invadere; atque illos ab eo minùs fatalitèr urgeri, quod ut ita sit necessarium est; quia adultis est vis perfectior expectorandi; atque ita ne condensetur exsudatio inflammatoria, nec inducat signa suffocandi, providetur. Si res ita se haberet, tussis, et vox cynanchi tracheali

cheali propria, respirandique difficultas, multò frequentius occurreret, utpote hæc indicia membranæ præeunt, neque ab ipsius conformatione pendeant. Prætereà iis, quos duodecim vel tredecim annos agentes hoc malum superavit; non minùs perfecta est vis expectorandi quàm adultis, atque ita ab ejus impetu incolumes esse debuissent*.

Hic morbus rariùs ante quàm post delactationem infantes invadit †, quò maturius tamen lacte depelluntur (si HOMIO credatur) eò opportuniores sunt ad ejus aggressus. Veruntamen non videtur à debilitate pendere, quoniam pueruli qui pro ætate vegeti sunt et alacres, ii præ cæteris huic anginæ procliviores sunt ‡.

Interdum

* Vid. RAMSAY, in *Transactions of a Society, &c.*

† ALEXANDRUM, p. 12. ROSENSTEIN, p. 296. CULLEN, § 323.

‡ *Transactions of a Society*, p. 25. ALEXAND. ubi suprà.

Interdum cynanche trachealis paulatim obrepit, et ægrotaturus hoc morbo, si diligenter observatus, videtur amittere hilaritatem solitam et alacritatem, vitare sodales, neque diutiùs ludis oblectari; mutatur vegetus color, qui nunc fit plumbeus et sublividus. Ferè etiam adsunt leves horrores, quibus succedunt calor, cæteraque pyrexiaè signa. Ante hæc haud rarò occurrunt oculorum suffusio et inflammatio, tussis sicca et anhela, aliaque indicia catarrho communia; atque interdum ab initio tussi inest sonus ille huic malo proprius.

Ferè semper autem hic morbus subito et ex improviso invadit, et, uti ferunt, multò sæpiùs noctu: æger, si somno sopitus, metu territus expergiscitur, primùm conquerens de dolore obtuso in superiore laryngis parte, qui gravior fit collo compresso, nullam tamen devorandi difficultatem efficiens; ægrotus autem sibi videtur in eo esse ut suffocetur, anhelat; tussis et stridula, aspera et dura, quâ puerulus vehementer agitur, cuique primùm tamen nulla adest expectoratio,

pectoratio. Hoc morbi gradu fauces inspicienti nihil apparet, quod talia signa inducere posset; tonsillæ et fauces nec multum tumefacta aut inflammata; tantum paulò magis solito nitescunt, lentoque tenacique muco obducuntur. Simul æger gravi languore lassitudine, somnolentiâque laborat. His accedunt lingua arida, alba et sordida; cutis calida et arida, urina rubra, nec sedimentum deponens; facies magis solito sanguine suffusa, site et calore urgentibus.

Neque multò post ingravescent calor, sitis, anxietudo, cæteraque pyrexiaë indicia. Multum etiam augentur tussis, spirandique difficultas; ægrotus supinus vix aut ne vix quidem cubare potest: extenditur collum, caputque violenter rejicitur ne fiat ut suffocetur; atque aliquandò, ita vehementer luctando, cuncti muscoli spasmi ritu afficiuntur, caputque sicut in tetano extentum tenetur*. Jam
clarissimè

* Vid. FERRIAR, vol. iii. p. 135.

clarissimè apparent indicia, ea scilicet quæ peculiariter hunc morbum denotant, eique propria sunt: atque imprimis sonus ille inter inspirandum præter naturam, nec facilè descriptu, semel autem exauditus, est quo facillimè agnoscatur. Hunc stridorem æneæ fistulæ, galli canitui, canisve gannitui, comparârunt medici; respiratio fit etiam sono stridulo, quasi cavitas tracheæ quâdam materiâ spongiosâ impleretur*.

Sub idem tempus interdum accedit vomitus, ægerque aut expuit aut evomit haud parvum mucosæ materiæ, puris formâ, nonnunquam etiam membranacæ, quo interdum levantur symptomata; quod tamen minùs longùm durat. Citò enim ingravescunt symptomata, difficultas spirandi, tussis, proclivitasque ad suffocationem; ægro vires paulatim deficiunt; fit pulsus parvus, debilis et frequens; tumescit livescitque facies; tandemque vita extinguitur.

C

Cursus

* FERRIAR ubi suprâ.

Cursus morbi variat diversis exemplis. Quibusdam mors obrepit intra horarum viginti quatuor, vel intra septem quidem spatium; ferè tamen vita in tertium aut quintum diem protrahitur. Utique proferuntur quædam rara exempla, quibus producebatur hoc malum ad multò longius spatium, scilicet ad diem decimum octavum*; at in eo a TULPIO edito ad multò etiam longius tempus †.

Veruntamen hic morbus non semper ita, ut descripsi, constanter fatalem implet cursum. Nonnunquam verò (præcipuè manè ‡) aliquantò levantur symptomata; neque tam difficulter ducit et reddit animam ægrotus; nec non tussis febrisque indicia paulò remittuntur. Interdum etiam subito revalescere æger, morbusque plenè intermittere, videtur. Redeunt ut antea, cibi ludorumque appetentia, hilaritasque

* Vid. HALLERIUM apud MICHAEL. p. 14.

† TULPIUM loco suprâ citato.

‡ CHEYN. p. 21.

que solita. Dolendum est tamen bonam hanc spem nimis sæpè fallacem esse; citò enim puerulo, deliciis, spei, fiduciaque parentum, renovatur malum; iterumque livescit intumescitque facies; atque tandem, miserabile dictu! dulcissimus æger, cunctis suffocationis signis cruciatus, nimis acerbo fato, animam efflat.

Hæ intermissiones rariùs primo quàm secundo morbi gradui superveniunt; quæ si in priore oriuntur, originem capient à temporariâ spasmi relaxatione, quo spasmo quidam ex musculis respirationi inservientibus afficiuntur, ab irritationem factam ab inflammatione; sin in secundo oriuntur gradu, initium capient ab aliqua exsudationis inflammatoriæ parte ejectâ, unde fit aëri liberior ingressus egressusque.

Subitæ lethiferæque exacerbationes quæ aliquando obveniunt post plenas intermissiones, à subitâ et violenti spasticâ affectione musculorum glottidis; vel potiùs, ut putat CHEYNIUS, cùm pars membranæ extussitur, fieri potest

potest, ut reliqua pars à tracheâ separetur, interque plenam inspirationem valvæ officio fungatur, atque ita animæ fistulam obturans, causa sit cur subitò suffocetur æger*.

Quædam alia symptomata rariora et abnormia, annumerata sunt ab auctoribus; veluti pedum et manuum aqua intercus †, cutis bis terve dum implet cursum morbus scatens parvis rubrisque maculis, quibus erumpentibus semper aliquantò levantur symptomata ‡; nec non glandularum colli tumor, suppuratio, gangrænaque §.

Huic morbo, ad bonum exitum vergenti, rarè adsunt indicia insigniave phænomena, quibus dignoscatur morbi discussio. Plerumque fit ut signa, quum primùm ad summum violentiæ

* CHEYN. p. 22.

† HOME.

‡ RUSH, p. 144.

§ MOLLOY apud RUTTIUM.

lentiæ gradum pervenerint, gradatim se remittant, supervenit lenis et generalis diaphoresis, diminuitur vis pyrexiaë, tandemque vox stridula tussisque evanescunt.

DE INCISIONE CADAVERUM.

PATEFACTIS corporibus eorum qui hoc morbo correpti sunt, inspicientium oculis eadem extrinsecùs obveniunt, quæ in submersis, aut in iis qui ab apoplexiâ vel strangulatione superati sunt. Facies sæpè est tumida et livida, oculi ex sanguine prominentes turgidique; atque in quibusdam anterior pars colli haud parvâ sanguinis copiâ est plena, cujus venæ, jugulares præsertim, sunt inflatæ et sanguine saturatæ. Hæc evidenter originem ducunt a respiratione impeditâ pulmonibusque parùm dilatatis; quo fit ut sanguini per ea organa non pateat via; ita ut ventriculus pulmonarius nimis distentus faciat recursum sanguinis

ad

ad dextrum auriculam, quæ, jam minimè valens se vacuare, sanguinis decursum à capite impedit; inde factum est, ut minùs distendantur amplificenturque venæ sanguinem reducentes. Cæterùm multis in exemplis nihil similiter extrinsecùs apparet.

Incisis corporibus mortuorum hâcce anginâ, fauces et laryngis pars superior interdum inveniuntur quodammodò inflammata, quæ, sicut et tonsillæ, haud rarò lymphâ coagulabili obducuntur*; et patefacta asperâ arteriâ recluditur membrana, albida, sufflava, et interdum maculis variata, interiori tracheæ lateri adhærens: fistulamque integram, paulòque densiorem, efficiens. Hæc membrana diversis in exemplis et colore et firmitate variat; interdum pertenuis, aliàs adeò crassa est, ut totam tracheæ aperturam obturet †. In aliis exemplis est eâ duritie ut scalpello ei adhibito multum

* CHEYN. p. 68.

† HOMII Obs. 10. apud MICHAEL, 18.

tùm obstat; in aliis autem adeò tenuis et mollis est, ut facilè laceretur. Crassissima durissimaque est hæc membrana quò propior sit laryngi, minùsque tenax ab inferiore tracheæ parte.

Porrò nonnunquam hæc adventitia membrana à superiore usque ad inferiorem asperæ arteriæ partem extendit; nonnunquam etiam, at perrarò, ramusculis bronchiarum adhæret, et in eâ extractâ minutissimarum ejus ramorum divisionum delineatur quàm perfectissima imago*. Attamen perrarò usque ad bronchias penetrat, quæ plerumque mucoso humore spumosoque, atque puri subsimili, implentur.

Asseruerunt quidam auctores, se neque hanc adulterinam membranam, neque ulla ex his suprâ dictis phænomenis in asperâ arteriâ reperire posse; quod, ni fallor, nequaquam fieri potuit, nisi inspicientibus cadavera eorum, quos

* BAILLIE'S *Morbid Anatomy*, p. 90.

quos hujus morbi spastica species superaverit, cui, uti videtur, nulla inflammatio adest; etiamque ita fieri potuit, si in iis exemplis esset, quibus inflammatio, celeriter musculos glottidis corripens, prius ægrum è medio sustulerit quàm ea in tracheâ satis violenter ad talia phænomena efficienda valeret*.

In nullo quantùm scimus, exemplo hujus mali fuit exulceratio. Morbus vel minimè quidem ad gangrænam proclivis videtur, vel æger antè suffocatur quàm ea oboriri possit †.

Pulmones plerumque sani et integri sunt; interdum autem cellulæ plenæ sunt eodem mucò, puri subsimili, ac bronchiæ; et ex illis compressis

* Vid. JEFFRAI Dissert. Med. de Cynanch. Tracheal. p. 22.

† ROSENSTEIN, p. 295. MICHAEL. p. 51.—“Ne minimùm quidem gangrænæ vestigium in cadaveribus, verâ anginâ membranaceâ mortuorum unquam observatum est.”

compressis nonnunquam effluit sanguis. Haud rarò etiam sunt rubri, et, uti videtur, in superficie inflammati. Memorant SALAMONIUS CHEYNEUSQUE se invenisse humorem in cavum thoracis effusum, qui coibat sero similis; ex quo fortassè indicatur inflammationem à bronchiis in pulmonum corpus serpsisse.

Antequam effectus inflammationis, a superficie quam afficit modificatæ, satis cogniti sunt aut stabiliti, multis modis à medicis scriptum est de naturâ membranæ in asperâ arteriâ inventæ.

Alii putabant, quibuscum sentit WILCKEUS*, eam esse interiorem tracheæ membranam inflammatione spissatam mutatamque, morbique cursu separatam. Verùm enim verò etiamsi

D

tale

* Vid. WILCKEUM de Anginâ Infantium, apud SANDIFUT. Thesaur. vol. ii. p. 358. Hic æquè ac ROSENSTEIN, hunc morbum cum Cynanche Malignâ confusisse videtur.

tale in tracheâ fieri posset ut separatio *epithelii*, quam quidem interdum videmus in cynanche malignâ *, dysenteriâ et gonorrhœâ †, iis tamen minimè assentiremur ita se habere in Cynanche Tracheali; quia membrana, ubi etiam aderat intima tracheæ tunica, conspecta est. Aliis autem, ut ROSENSTEINEO ‡, placuit hancce membranam ex inspissato mucò constare, mutato transeundo inflammata vascula; sed hæc membrana multùm absimilis est mucì, ex aliis mucosis membranìs inflammatione affectis secreti; nec inspissato mucò inest vel color vel tenacitas, vel vis resiliendi, membranæ totiès supradictæ propria: denique chemicis dotibus differt.

Hæc membrana (ut rectè observat HOMIUS) oritur ab inflammatione; constat enim ex
lymphâ

* ROSENSTEIN, 310. *Journal de Méd.* 1768. p. 220.

† HOME *on Strictures of the Urethra*, vol. i. p. 179.

‡ MICHAEL. 48. ROSENSTEIN, 311.

lymphâ coagulabili ejectâ ex oribus vasorum exhalantium, quorum secretio, ob partes vicinas inflammatas mutatur. Ex inflammationis violentiâ aliquam glandularum tracheæ mutationem efficiente, secretio naturalis mucii impeditur suspenditurve, dum e contrario actio arteriarum exhalantium augetur, quò fit ut copiosiùs res contentæ ejiciantur, dotibusque mutatae ex inflammata vasorum conditione; atque ita formatur spuria membrana è lymphâ coagulabili constans, vel sanguinis fibrinâ. Aliis in tracheæ partibus quid afficiat minor inflammationis gradus, est ut facilè perspiciatur: levior enim fit ad inferiorem asperæ arteriæ partem; neque in bronchiarum ramulis oritur ulla exsudatio inflammatoria, glandulis mucosis se majore vi gerentibus, excernitur copia mucii et cava implet. Hinc in cynanche tracheali reditus secretionis mucosæ denotat symptomatum remissionem, inflammationisque extenuationem.

Porro

Porro confirmantur tales effectus inflammationis in mucosâ asperæ arteriæ membranâ, ex iis quæ cæteris mucosis membranis inflammatis superveniunt. Exemplum est in catarrho, ubi initio mali cum haud parùm inflammatur nasi membrana, minuitur vel etiam suspenditur glandularum mucosarum secretio, parietes narium aridi et molesti sunt, obtunditur olfactus, neque aliud oritur quàm tenuis acrisque destillatio. Sed ubi remittit inflammatio, vel suâ sponte, vel remediis adhibitis, statim glandulæ solito munere funguntur, excernuntque mucum colore diverso, materiâque crassiore.

In enteritidi erysipelatosâ etiam, ubi *epithelion*, aut membrana intestina investiens, quæ est inflexa epidermis superficiei corporis, inflammatione afficitur, multùm augetur mucii secretio, diarrhœam mucosam, cum intestinorum motû uti vocatur *peristaltico* aucto, inducens.

Quibusdam

Quibusdam dysenteriae exemplis tamen, ubi hujus membranæ inflammatio multùm aggravari videtur, secretio mucosa diminuitur, exhalantia se majore vi gerunt, egeruntque agglutinantem lympham coagulabilem, ex quâ formatur membrana, similis ei in cynanche tracheali, quæ sibi intestinorum formam sumunt, dejectaque alvo, haud rarò pro interiori intestini tunicâ, aut pro intestino ipso, assumpta est*.

DE

* Vid. BORDEU. *Recherches sur le tissu muqueux.*

BICHAT. *sur les Membranes, et Anatomie generale.*

PINEL. *Nosographie*, vol. i.

HUNTER *on the Blood*, passim.

HALLERI *Physiol.* t. vii. p. 157.

TULPIUS, lib. ii. cap. xvii.

DEWAR *on Diarrhœa*, &c. p. 80.

WILSON, vol. iv. p. 589.

DE CAUSIS.

QUANQUAM doctrina causarum proximarum adhuc in multâ obscuritate latet, et quam earum nostra notitia in plerisque affectionum est manca et debilis, haudque in paucis ferè nulla; tamen earum consideratio est res magni momenti; neque spes quantulumcunque parva, tandem perveniendi ad harum veram notitiam, debet esse in angusto: indagata enim multùm medicinæ prodesset; nam tunc ars medicinæ minùs ab experienciâ, aut arte empiricorum penderet; neque, ut nunc dierum, tam latè regeret casus; multùmque abesset ut remedia solùm ad levanda removendaque symptoma præcipirentur, at rectâ viâ ad ipsam morbi causam primariam extirpandam

tirpandam funditùsque tollendam gradere-
mur.

PROXIMAM verò cynanchês trachealis *CAU-
SAM* quod attinet, multis modis scriptum est a
medicis, quod, sine dubio, haud paululum in-
commodi ægrotantibus hoc morbo fert; quip-
pè medici, ex diversis opinionibus, exque pe-
culiaribus suis notionibus, alii aliam cura-
tionem remediis diversâ naturâ effectibusque,
nec aptam ad malum removendum, insequen-
rentur.

Putat *HOMIUS* proximam cynanchês tra-
chealis causam, spuriam membranam esse quam
asperæ arteriæ obductam suprâ memoravimus.
Hoc certè errat vir acutissimus, effectu scilicet
pro causâ assumpto; utpotè membrana ex in-
flammatione antea in asperâ arteriâ vigenti
oriatur: ad hoc, omnia symptomata, etiamque
hujus morbi exitus lethalis supervenerunt, ne-
que ulla membrana conspici potuit.

CHAMBONIUS* et FOURCROIUS hoc malum ad purulentam totius corporis diathesin referunt, existimantque mucum, puri subsimilem, in tracheâ bronchiisque repertum, ex aliquo è generali humorum circa fluitantium massâ deposito suboriri; quod contendunt iidem auctores effectum esse à vasis eorum organorum sanguinem vehentibus. Hæc opinio planè ab eâ DE HAËN pendere videtur, atque parum attentionis aut refutationis meretur; nihilo seciùs tamen fautores ejus haud dubitant reprehendere aliorum medicorum curationem, neque ullam nisi inertem et inefficacem supponere.

Putaverunt alii medici hoc malum à spasmò initium capere, multùmque abesse ut unquam adsit inflammatio. Rem tamen non ita se habere

* “ Je crois” (inquit CHAMBONIUS) “ devoir rapporter à la diathese purulente, l’origine de cette maladie.”—Vid. *Mém. de l’Acad. R. de Méd.* 1785-6, p. 84.

bere docet experientia; docent etiam morbi indicia, remedia ejus propria, quæque post mortem oculis obveniunt; ita ut talis opinio, etiam si non jam esset ab omnibus medicis derelicta, parum gravis refutationis requireret.

Mihi placet sententia eorum, qui duas hujus morbi species censent, alteram scilicet ex *inflammatione* orientem, alteram ex *spasmo*. Speciem, quam suprâ describere conati sumus, ab inflammatione pendere, probari potest ex gravi quæ adest febre; ex malo orto ab iisdem causis quæ eas affectiones ab inflammatione pendentes, inducunt; ex sanguine misso eâdem naturâ ac in cæteris phlegmasiis prædito; ex tracheâ vicinisque partibus patefactis inflammatione affectis, et obductis eâdem exsudatione quæ aliis membranis inflammatis adsunt; denique ex iisdem remediis, quæ inflammationem reprimunt, æquè huic morbo necessariis salutaribusque ac cæteris affectionibus quæ evidenter ab inflammatione pendunt. Neque tamen negandum est spasticam

esse cynanchês trâcheâlis speciem, quam conspexerunt descripseruntque nonnulli accurati auctores * ; ejusque spasticam naturam docent soliti incursus, remissiones etiam in aliquod tempus producti, exacerbationesque æquè subitæ et graves. Hæc ita esse ex hoc etiam ostendi possit, quod ea remedia, opium, scilicet, assafoetida, balneum tepidum, quæ ferè spasmus resolvunt, plurimùm valeant in hoc morbo, quòdque nulla inflammationis signa in cursu morbi superveniant, nec post mortem conspici possint.

PRÆDISPONENTES hujus morbi *CAUSÆ* sunt, præcipuè quoddam infantiaë pueritiaëque proprium, qui ætatis gradus præ cæteris, ut supra dictum est, huic morbo patet. Nimia corporis plenitudo æquè anginaë tracheali ac aliis morbis ab inflammatione pendentibus, aptos reddit; nec non omnes pulmonariaë quæ antea
aderant

* RUSH. p. 141.—MILLAR.—UNDERWOOD, vol. iii. p. 316.

aderant inflammationes, veluti catarrhus, rubeola, pertussis, quæ respirationis organa infirmant, in hanc anginam proclives faciunt, eosque præcipuè qui antehàc eâ laboraverint.

EXCITANTES CAUSÆ sunt plerumque frigus subito corpori priùs calefacto adhibitum, et frigus cum humore conjunctum, quæ inter præcipuas inflammationis causas sunt, atque ita majore vi teneros ætate, qui ob magnam irritabilitatem magis inflammationi sunt opportuni, afficiunt: frigus insuper directè in tracheam partesque maximè morbo laborantes agit; hinc in aprico erit, cur hæc infantes puerosque lædant, utpote quibus vocis organa multò sint molliora quàm adultis, indeque magis obnoxia causis, quæ minimè in ea, cùm ad summam vim et perfectionem pervenerint, valent. His accedunt respirationis organa præter solitum intenta, veluti in vociferatione et organorum musicorum inflatio, quæ excitantibus causis annumerantur.

 DE DIAGNOSI.

QUANQUAM sint quædam anginae trachealis indicia, quæ, cum adsint, planè distinguant eam ab aliis morbis quibus aliqua cum eâ est similitudo; tamen cum fieri possit ut quædam ex iis absint (quod de respirandi difficultate observat MICHAELIS); cumque alia sint ita levia ut minùs facilè dignoscantur; profectò à re nostra erit, paucis verbis ostendere conari, quæ sint mala quibus cum hoc sit aliqua similitudo, et quomodò internoscantur.

1. *Cynanche tonsillaris*.—Hæc affectio rarò infantes, vel teneros ætate invadit; multùmque in eâ tumescunt inflammanturque tonsillæ et fauces, è quibus oritur magna deglutiendi difficultas, cum respirandi comparativâ facilitate.

tate. Contrà, cynanche trachealis plerumque infantes infestat, eosque ferè solos; et in eo tonsillæ faucesque vix aut ne vix quidem afficiuntur, facultas devorandi paulatim modò minuitur; dum è contrariò respiratio ferè semper difficillimè fit, atque sonus ille huic malo proprius sequitur. Hæ notæ, ni fallor, satis certæ sunt, et planè inter duos hosce morbos distinguunt.

2. *Catarrhus*. — Indiciæ anginæ trachealis incipientis adeò multùm ea catarrhi referunt, ut non sine summâ difficultate internosci possint. Res est igitur haud parvi momenti quàm maturrimè inter eos distinguere; quippè plerumque alter adeò levis est ut rarò ulla remedia postulat; altera autem morbus est, ut quàm opportunissimè allevamenta remediaque efficacissima poscat. Ex his notis tamen dignosci possint: Catarrhus sæpè quasi pestilentia grassatur; non item cynanche trachealis: huic etiam fere semper adsunt gravis respiratio,

tio, tussis periculosa, inspiratio strepens, quæ non accedunt catarrho.

3. *Pertussis*—ita ab angina tracheali internosci potest: ille morbus est pestilens, hic nunquam: illum rarò et tantùm incipientem, vel ad lethalem exitum vergentem, comitatur febris; hunc vehementer infestat: in illo tussis intermittit reditque intervallis, ægro inter remissiones plerumque facilè respirante; dum in cynanche tracheali, respiratio in eodem gravi tenore continuat, et citò gravescit: denique pertussis tantùm semel afficit; hoc tamen qui semel laboraverit, eò obnoxior fit, ut iterum iterumque subeat malum.

4. *Pneumonia*.—Hujus mali pungens dolor lateris, aut cujusdam thoracis partis, gravescens inspiratione, difficultas incumbendi alteri lateri, id satis à cynanche tracheali internoscunt. Prætereà, pneumonia vix ullos nisi ætate proveciore invadit.

5. *Cynanche*

5. *Cynanche Maligna*.—Quos hic morbus infestat, iis fauces intumescunt et rubescunt, sunt crustæ cineritiæ et ulcera latè serpentina, acris pituita ex ore et naribus, halitus fœtidus, febris typhi generis, cutis maculis rubra, morbus ipse pestilentissimus, deliriumque maturè superveniens. Hisce consideratis, non potest quin hoc malum à cynanche tracheali facilè dignoscatur.

6. *Asthma*—à morbo quem persequimur distingui potest, ex subitis et æqualibus accessionibus et integritatibus interjectis, ex chronicâ morbi naturâ, ætateque eorum qui procliviores sunt ejus invasionibus; cynanche trachealis autem plerumque inter totum ejus cursum est vehemens, et citò vel ipse finitur, vel ægrum e medio tollit.

Cæterùm aliud est, quod, uti observârunt HOMIUS et MICHAELIS, aptissimum est confusu hoc quem persequimur morbo, quodque interdum ab eo distingui nequit; hoc est
quod

quod ab extraneis interiorē asperæ arteriæ membranam irritantibus suboritur.

In adultis prævia historia satis certam diagnosin reddet; in infantibus autem puerisque, quibus verò plerumque accidit, fieri potest ut tali ratione dignoscere nequiamus. Attamen si dolor non præter tracheam serpit, si acutissimus est et circumscriptus; si locum mutat, interque tussendum nunc superiorem, nunc inferiorem, tracheæ partem infestat; nobis concludere licet, si MICHAELI credatur, non esse cynanchem trachealem: hoc magis, si ægrum inter mandendum invaserit, nullo malo antea urgente; si levia præ cæteris sint febris indicia; insuper, si angina trachealis non priùs in vicinitate fuerit*.

DE

* Vid. MICHAEL, p. 131.

WILSON, vol. iv. p. 22.

DE PROGNOSI.

QUONIAM hic morbus interdum lentè et insidiosè, ut dictum est suprà, obrepit, adeòque citò ingravescit; quoniam præcipuè infantes aut teneros pueros incesset; semper cautè et cogitatè quid sit futurum præ sagire debemus.

Si ægrotus hoc morbo biduum triduumve, medico nondum arcesso, laboravit; si fatiscunt vires, prioribus malis exhaustæ; si spirandi difficultas increcit; si vox fit stridula et tussis clangens, sicca et sine excreatione; si gravescunt febris indicia, cum pulsu parvo, debili, frequenti et inæquali; si facies intumescit, rubescit livescitve; pessimum est. Contra ea, si medicus tempestivè arcessitur;

si febris signa levia sunt, pulsus plenus, mollis et æqualis; si spirandi difficultas haud ita magna aut gravis est; si vox non stridula, nisi fortassè dum vagit tussitve puerulus; si tussis non ita vehemens est, vel si parvus æger facillè extussit copiam humoris, puri subsimilis, exque frustulis membranaceis compositi, quò multùm levantur symptomata; bonum est, et salutis prænuncium.

DE CURATIONE.

ANTE spasmus et morbida acrimonia hujus mali causæ habebantur, quàm vera ejus natura cognita est; laudebantur adhibebanturque multa remedia, quæ nimis sæpè parùm valebant, fiebatque hoc malum inter opprobria medicinæ. Quum autem nunc dierum vera hujus affectionis natura explorata est, rationaleque
medendi

medendi consilium est institutum et excultum, hiccè morbus, etiamsi adhuc haud periculi expers, rariùs, ni fallor, quàm antea victoriam fert. Cæterùm si etiamnum haud paucis exemplis medici solertiam eludit, nosmetipsos consolari licet CICERONIS verbis, “ Ne ægri quidem quia non omnes conualescunt, idcirco ars nulla medicina est *.”

Utique verò eadem cynanchês trachealis indicatur ratio medendi, quæ aliis phlegmasiarum, nisi fortassè excipiatur frigus corpori adhibitum, et ob hujusce, quem tentamus, morbi symptomata, et ob inflammationem tracheæ circumscriptum. Consilia autem medendi ea esse videntur :

1mùm, Reprimere inflammationem.

2dùm, Ea facere quibus extussiatur membrana.

3tiùm,

* CICERON. de Naturâ Deorum.

Stium, Cavere ne suffocetur æger.

PRIMUM CONSILIUM quò efficiatur, adhibenda sunt,

Emetica,—quorum boni effectus in incipientibus febribus, et in quibusdam phlegmasiarum, veluti in cynanche tonsillari, causa est cur tam sæpè adhibeantur in hoc morbo; atque sub ipso morbi initio assumpta, sæpiùs quàm saluberrima fuerunt: adeò ut aliquando malum sistant, vel ne formetur membrana prævideant. Talis, uti nos certiores facit *CRAWFORDIUS*, curatio plurimùm valebat in loco *Carse of Gowrie* vocato, effectibus planè salutiferis.

Phlebotomia.—Sub initio morbi, si febris signa gravescunt, pulsus plenus et firmus; si æger est pleno corporis habitu, certè indicatur sanguinis missio; quod igitur sine morâ faciendum est; neque fortassè ulli alio morbo quàm huic *CELSI* observatio rectiùs applicari potest:

potest: "Interest enim, (loquitur de sanguinis abstractione), non quæ ætas sit, neque quid in corpore intus geratur, sed quæ vires sint*." In nullo alio morbo est allevatio magis subita, vel manifestior: symptomata graviora quibusdam in exemplis ferè illicò remittunt, ægerque, qui in eo erat ut suffocaretur, omni periculo eripitur.

Sanguis detrahi potest ex manibus pedibusve †; faciliùs autem ex alterutrâ externarum juguli venarum, quippè quæ ex naturâ morbi admodùm turgidæ sint ‡, sedique inflammationis vicinæ; atque ita factum est, ut ex his sanguinis detractio ferè eadem est ac si cucurbitulæ hirudinesve parti ipsi affectæ adhiberentur. Veruntamen si adhuc urgent symptomata, vel si post remissionem denuò ingravescunt, iterum sanguinem detrahendum esse,

* Vid. CELS. lib. 2. cap. 10.

† FERRIAR, p. 143.

‡ CHEYN. p. 25.

esse, vel ex toto corpore vel ex aliquâ parte, opus est.

Cucurbitulæ et *hirudines*, ubi propter ægri tenerrimam ætatem, aut propter vires debilitatas, ex venâ incisâ periculum sit, rectè adhibeantur, et sanguis quàm maximè eliciendus est, quoniam, quò pleniùs fluant foramina, eò plùs allevatur morbus.

Balmeum calidum, post sanguinem missum, à nonnullis medicis multùm laudatur, quippè cujus effectibus reprimentibus et solventibus ex usu fiat *.

Epispastica,—ut in aliis phlegmasiis feliciter adhibentur, ita in morbo quem persequimur, nisi ubi ex sanguinis missione symptomata plenè remittunt, nunquam sunt omittenda. Quum autem a sanguine detracto non levantur symptomata, vel si post remissionem de-

nuò

* Vid. FERRIAR, p. 145.—CHEYN. p. 25.

nuò gravescunt, ad exulcerationem decurrendum est, at satis magnum emplastrum vesicans ei colli parti, sedi inflammationis proximæ, est obducendum; quod vi derivandi ex vasis inflammatis, necnon spasmum musculorum glottidis solvendi, pollet. In memoriâ tamen tenendum est, vesicatoria minimè adhibenda esse, nisi priùs orta inflammatio fuerit levis, aut, si vehemens, nonnihil ex aptis exanitionibus repressa fuerit. In hoc enim morbo, sicut et in pleuritide et peritonitide, si obducuntur dum maximè urget inflammatio, non solùm parùm proficiunt, sed etiam vi irritandi ne multùm gravescat recrudescatque malum, periculum est*.

Laxantia.

* Vid. GREGOR. Conspect. vol. ii. § 1608.

ABERNETH. Observat. p. 16.

CHEYN. p. 26.

ALEXAND. p. 74.

FERRIAR, p. 143.

Laxantia.—In cynanche tracheali, veluti in aliis morbis quibus gravis accedit febris, non negligenda est alvus, quæ plerumque admodum astricta est, ideòque est movenda idoneis catharticis. Ob magnum torporem, quo in hoc morbo inusitatè afficitur canalis alimentarius, assumenda sunt cathartica, largis iteratisque dosibus. Quòd si puerulus eorum quantum sufficiat haurire non potest, alvus subter enematis stimulantibus ducenda est, quoniam haud parùm refert, ut irritatio, facta ex iis in intestinis contentis, sæpè acribus, et nimià quantitate collectis, removeatur; quoniamque purgatio, juxta sanguinis missionem, quàm efficacissimè valet ad digerendam inflammationem.

Porro nullum hujus generis medicamento-
rum sibi tantam famam in hâc anginâ cu-
randâ comparuit quàm Calomelas; ita ut
RUSHIUS qui primùm ejus usum in hoc malo
magnis laudibus commendavit, non dubitet as-
serere, cynanchen trachealem non minùs arte
curari

curari posse calomelane, aptè adhibito, quàm febres intermittentes cinchonâ.

Nec non laudibus æquè magnis, de hoc remedio loquuntur alii medici: de modo autem quo ita salutariter afficit, inter se differunt. Putat RUSHIUS hocce medicamentum, augendo mucosam secretionem aliis in partibus corporis, (putà intestinorum), causa erit cur membrana tracheæ inflammata relevetur.

Secundum alios, dum intestina vi evacuandi afficit, partim absorbetur, notosque effectus hydrargyri in cute præstans, diaphoresin inducendo, multùm valebit ad digerendam inflammationem levandamque pyrexiam.

Porro, ut aliis placet, calomelas absorptus agere potest, uti videtur in hepatitide, pneumoniâ, cæterisque inflammationibus, inducendo novam in vasis affectis actionem, dissipando inflammationem, efficiendoque ut lymphæ effusa absorbeatur. Certè autem effectus

hujus remedii hoc modo nimis sunt tardi ut aliquid boni effecerint in cynanche tracheali, morbo tam citò gravescente: attamen tales bonos effectus, ni fallor, meliùs præstare possit in cynanche tracheali spuriâ *, et in ea hujusce morbi specie magis vetustiore, à quibusdam medicis enarratâ †.

ALEXANDER, hujus remedii etiam fautor, salutares effectus putat præstare, minuendo tonum, uti vocatur, actionemque musculæ fibræ; atque sanguinem vi peculiari afficiendo, producendoque in eo statum aliquantò diversum ab eo qui ei in acutâ inflammatione adest ‡.

Alii denique censent, hoc remedium proficere validis certisque viribus sibi insitis exinanienti; quam sententiam verisimillimam esse concludere inducti sumus. Cæterùm fu-
siùs

* FERRIAR, p. 137.

† *Annals of Medicine* 1799.

‡ *On Croup*, p. 75.

siùs de bonis hujusce medicamenti effectibus dicere supervacaneum est; nobis sufficiat notos esse et pretiosos. “ Quid Scammoniae radix (ait CICERO) ad purgandum, quid Aristolochiae ad morsus serpentium possit, video;—quod satis est;—cur possit, nescio*.”

Hujus medicamenti primò præcipitur plena dosis, deinde postea dosis duobus tribusve granis singulis, binisve horis, prout ægri ætas viresque postulent, donec morbus se remittere cœperit; quod ita fit plerumquè post multum viridis fæculentisque materiæ evacuatum est; attamen frequentiùs non remittitur donec haud parva copia medicinae hausta sit †.

Diaphoretica,—cùm sint levia et ita adhibita quò minùs calefaciant et irritent, levabunt febris

* CICERO de Divinatione.

† DABNEY, Dissert. Med. de Cynanche Tracheali. Audi etiam HAMILTON. prælectiones de Arte Obstet. in Acad. Edinen.

bris indicia, fientque et utilia et grata ægro, relaxando ductus excernentes, solvendoque spasmum superficiei inflammatorium.

Spasmm solventia,—tametsi multùm a medicis, qui putârunt hunc morbum esse spasticum laudata, neutiquam profuerunt specièi quæ inflammationem habet*, cujus spasmus musculorum glottidis (qui sine dubio fit) est tantùm symptoma, solviturque ubi causa, inflammatio, scilicet, eum movens excitansque, reprimitur aliis allevamentis †. Attamen si adhuc continuat symptoma, hæc remedia in auxilium vocanda sunt. Hujusmodi antefendum est opium fortassè cum æthere conjunctum; nequaquam autem est adhibendum donec idoneis evacuationibus removeatur omnis metus ex ejus effectibus stimulantibus excitantibusque inflammationem.

Quum

* CULLEN, § 330. RAMSAY, *Transactions of a Society*, p. 39.

† ALEXANDRUM, p. 52.

Quum omnes hæ rationes inflammationi occurrendi spem fefellerint, jamque patescant signa illius quod ab HOMIO vocatur *stadium suppuratorium*, signave formationis membranæ, nobis lugendum est, nimis sæpè parùm fieri posse ad servandum ægrum.

SECUNDUM CONSILIUM, igitur, conficiendum est, ut ea fierent quibus extussiat membrana, aliudve in tracheâ contentum. Quod ut efficiatur, recurrendum est ad

Expectorantia,—veluti Scillam maritimam, gummi-resinam Ammoniacæ, et Polygalam Senekam*, quæ commendata sunt, necnon vapores calidæ aquæ et aceti in pulmones haustos †.

A

* Vid. ARCHER, *Med. Annals*, 1779.

† “ L’expectoration de cette matière est un point essentiel, et comme elle est tenace, il faut imprimer aux poumons de vives secousses, en renouvelant le toux artificiellement, en excitant l’éternuement et le vomissement.”—CHAMBON. ut suprâ.

A remediis autem hujus generis plerumque aversi sunt tenerrimi impuberes, nec facilè aliquod extussiunt; immò etiam haud rarò fit ut contra id summis viribus nitantur. Itaque posthabita sunt,

Emeticis,—quæ non solùm ventriculum movent, sed ex concussu et pressurâ in vicinas partes inter vomendum, laryngem etiam afficiunt; quò factum est ut mucus frustulaque membranæ copiosè ejiciantur, unà cum iis in ventriculo contentis*.

Bronchotomia,—cæteris remediis medicamentisque ad spem parùm respondentibus, a quibusdam medicis, uti ultimum consilium et auxilium, proposita est. Attamen etsi benignè

* Vid. MAY *on Consumption*.

ALEXAND. p. 73.

FERRIAR, p. 144.

RAMSAY.

nigné de eâ loquitur MICHAELIS †, et BURSERIUS ‡ unum exemplum, ubi benè successit, profert, tamen ex periculosâ talis auxilii naturâ, exque statu partis affectæ, haud verisimillimum est membranam extrahi posse: hoc ita esse docet etiam tenuitas ipsius membranæ in inferiore tracheæ parte, necnon parvum quod intervenit intervallum inter annulos asperæ arteriæ. Prætereà, extractio membranæ, si ita fieri possit, nihil ad rem valeret, quoniam haud rarò post supervenit mors quàm membrana extussita fuerit; neque mucus bronchias explens, quod sæpè est causa mortis, talij auxilio excerni potest.

* MICHAEL. p. 217.

† BURSER. vol. iii. p. 304.

quod est de sequitur. *Richardus*, et *Hur-*
le et *unum* *extinguant* *nihil* *non* *accessit*,
potest *tamen* *esse* *periculosum* *talis* *auxilii* *na-*
ura, *exque* *statim* *partis* *allecta*, *hand* *ver-*
similimum *est* *incubantem* *extrahi* *posse*,
hoc *ita* *docet* *etiam* *tenues* *ipsius* *mem-*
branae *in* *allectio* *tracheae* *partis*, *ne* *non* *par-*
atim *quod* *interim* *intervallum* *inter* *an-*
te *et* *postea* *interim*, *Interim*, *extractio*
periculum, *si* *ita* *non* *possit* *nihil* *ad* *rem* *re-*
ferre, *quoniam* *hand* *ita* *pot* *supervenit* *mois*
quoniam *incubantem* *extrahi* *facit*, *reduc* *mu-*
cus *tracheas* *expansus* *quod* *supra* *est* *crusa*
et *in* *auxilio* *excit* *potest*.

Richardus *p. 177.*
Hurle, *vol. III. p. 301.*

F I N I S.

ERRATA

Page 11 line 2 for "light" see "white"
" 12 line 10 for "gauge" see "gauge"
" 12 line 12 for "has" see "has"
" 12 line 4 for "station" see "station"
" 12 line 12 for "station" see "station"

et hinc deinde ad septimum Richardum, et hinc
 ad octimum et nonum, ubi non successit,
 quod tamen experimentis suis auxiliari-
 bus, exque statim parte dicitur, hinc ver-
 atissimum est inchoationem extrahi posse.
 hoc in case docet etiam tenuitas ipsius mem-
 brane in ista trachea parte, necnon par-

DISPUTATIO MEDICA

ERRATA.

- Page 24. lin. 2. *pro laligini, lege caligini.*
 34. lin. 16. *pro gangilo, lege ganglio.*
 46. lin. 19. *pro hac, lege hæc.*
 52. lin. 4. *pro sclerotam, lege scleroticam.*
 69. line 12. *for contract, read contact.*

CATARACTA